

fuerat à Rege, Balduino Regni Procurator, & Bauilinus constitutus; ob quam causam Comes Tripolitanus cepit ea machinari, quæ possent in Regis dedecus redundare. Et tām ipso, ut dicitur procurante, quām etiam nostris peccatis exgentibus, culpa quoque Raynaldi Principis de Montreal, qui treguas quas Regnum Hierosolimitanum cum Saracenis habebat, maxima præda capta confregit; irruerunt Saraceni in Regnum Hierosolimitanum, & capto Rege, Baronibus, & populo vniuerso, lignoque Dominice Crucis, & Hierusalem hæreditate Dei, Ciuitatibus, & Castellis vniuersis anno ab Incarnatione Domini mclxxvij. totum Regnum, vsque ad interitionem constrauerunt. In quō Regno sola Tyrcis Vrbs in corde maris posita, & ferè ab ipso vndique circundata, excidio perpetrato remansit; quam postea Conradus de Monteferrato frater Gulielmi, quam supra nominauimus laudabili strenuitate defendit; & tām in aqua, quām in terris Saracenis restitit gloriosè. Prædicti namque excidijs dato rumore per Vrbem fremuerunt gentes, & conturbata sunt regna; venerunt à finibus terræ tribus Domini liberare sacrificium eius de manib[us] impiorum portantium; iniquitates in cubilibus suis, & de sua virtute deceptorie præsumentes. Primi ergo iniuriæ Christi accurerunt, Italici homines bellicosi, discreti, & regula sobrietatis modesti, prodigalitatis, expertes, parcentes expensis cum necessitas non incumbit. Et quod inter omnes gentes scripta legum sanctione reguntur; hij Ducem proprium non habentes, sed suis obedientes, quos elegerunt Tribunis ad obsidionem Vrbis Accon, cum ipso Rege Guidone, qui fuerat à vinculis liberatus porrexerunt; est autem Vrbs Accon, quæ antiquitus Ptolomayda vocabatur in litore maris sita, & ab ipso mari à meridie, & occidente præclusa. Ab oriente verò terra pater, ex qua parte Vrbem rebellibus Turcis referatam Italici obsederunt, quos postmodum Saladinus veniens cum multitudine infinita obsedit, crediditque illos propter paucitatem deglutire, sed misericordia fauente Diuina in contrarium cessit. Nam paucis diebus euolutis venerunt Dacij, Normanni, & Gotti, & ceteri populi Insularum, quæ intus occidentem, & septentrionem si te sunt, gentes bellicosè, proceres corpore, mortis intrepidæ; bipennibus armatae, natibus rotundis, quæ Isachit dicuntur aduectæ, nisi isti superuenissent Christiani pœnitus fuissent demoliti, hij cum ipsis Italicis Vrbem obsederunt. Dum hæc apud Accon geruntur, Federicus Imperator Romanorum cum exercitu perspicuo de Theotamia egrediens per Vngariam, & Bulgariam, & deinde per seruigiam, & per Macedoniam, ac Græciam transiens in manu fortis, & brachio extento, in Lichaoniam transiectus est, ibique de Philomena, & Iconia, & alijs Ciuitatibus gloriosè triumphans. Soldanis, & Turcis rebellibus domitis deuenit in Armeniam, vbi peccatis nostris exigentibus, & promerentibus, dum in uestu maximo in flumen quoddā, & dicunt quidam, quod Ferlim est nomen fluminis, lauandi causa descendisset mortuus est, & accessit damnum inestimabile Christianis, fuit autem Federicus Imperator vir Christianissimus, Bellorum omnium triumphator animosus in infinitum, familiaris quibuslibet, victis clementissimus, iniuriæ obliuiosus, statura mediocris, corpore rufus, ætate lon-